





ARTIS COMPUTATORIAE

Ex harum commixtione quilibet alij fiunt compositi numeri usq; ad DCCC. unico tātum caractere, porro mille milia geminata nota; ueluti est uidere in his quae descripsimus

Anno ab orbe factō		6739
Ab urbe uero condita		2293
A Christo seruatore nato		1539
Porro M mil. ad hunc modum		1000000

DE NOTIS NUMERORVM QVAS ziphras uocant. CAP. XVI.

Siphras uocant notas has numero decem 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0. quarum prima est unitatis, secunda binarij, 9 nouenarij, 0 uero arcularis nota, quam ex his solam, alij uocāt Sipheram, Georgius Valla ziphra per se quidem nihil significat, sed limitis tātum aut regionis in qua nullum numerum collocare uolumus locū occupat, quod apertius paulo post subiiciemus. Hæ sæpius geminatae alijsq; præpositæ & subiectæ, omnes numeros quam expeditissime exprimunt, habentq; in numerando incredibilem commoditatem, ob id usus notissimas maximeq; esse cōmunes. Cuius gentis aut hominis hoc inuentum sit, seu literæ ne sint an potius notæ mihi non satis constat. D. Henricus Grauius uir Græce & Hebraicæ eximie doctus, Hebraicam origi-